



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt XI. Cur non solùm malis, sed etiam sæpe bonis honores negari, vel  
auferrì diuina prouidentia patiatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Cap. XI. Cur saepe tam bonis,  
Trinitas beata, tibi soli laus, honor, virtus, &  
gloria, per infinita saeculorum saecula.

C A P V T X I.

Cur non solum malis, sed etiam saepe bonis  
honores negari, vel auferri diuina  
providentia patiatur?

§. I.

Perire honorem, qui indignis tribuitur.



Acile quisquis honoratur, quiescit, siue dignus sit eo honore, siue indignus: haud ita facile, cui honor negatur. Itaque non inscite He-

Cic. lib. 3.  
Tuscul.  
99.

racleotes Dionysius ad ea disputat, qua apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo.

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,  
Cum decore atque omni me orbatum laude  
recordor.

Num manus affecta recte est, cum in tumore est? aut num quodpiam membrum tumidum aut turgidum non vitiose se habet? Sic igitur plerumque aegritudine laborant, qui se se vident honore destitutos. Itaque sanandi sunt. Quamquam non solum aegrotant, qui se se vident esse sine honore, sed etiam in vitio est illo

ille animus, qui *tristibus iris* idcirco tumet, quia alios videt honorari. De illis priùs dicamus. Nam vel indigni sunt honoribus, qui eis non conferuntur, aut auferuntur; vel digni. Si indigni, nulla eis fit iniuria, quid ergo conqueruntur? Quàm ridiculus esset agricola, qui indignaretur, quòd non electus esset in Imperatorem? Quàm stolidus latro, aut prædo, qui pro laqueo speraret, aut postularet diadema? aut qui gladio dignus se se sceptro dignum iudicaret? *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij;* Prou. 26. *sic qui tribuit insipienti honorem.* Si enim testæ<sup>8.</sup> fragmentum in lapidum aceruum mittatur, impactum in minutissimas particulas confringitur; vt nullis postea vsibus sit aptum: ita etiam honor insipienti perperam impensus, perit prorsus, & frustra impenditur. *Et Isa. 30. comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione preualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Quo modo honor insipienti, aut impio oblati perit? quia Æthiopem lauat, siquidem non facit eum sapientem aut probum; & ipse vilescit, vt postquam viderint eum, deferri indigno, contemnant sapientes, & digni,

digni, qui non æstimant id, quod etiam stultis & sceleratis obtingit. Vidi audiuiq; sæpe officia quædam, alioquin honorifica, repudiari à sapientibus, eo solo nomine, quòd vidissent ea, ante se habuisse insipientes.

*Sellâ in curuli Struma Nonius sedet.*

*Ego nolo Consul esse.*

nolunt enim mentes generosæ fascēs contaminatos tangere; aut id præstare, quod videntur ineptissimi quique præstare posse. Itaque honores indignis collati & ipsi putescunt, & eos, quibus conferuntur, ludibrio exponunt; sunt enim velut lucerna admodum ta vesti maculatæ, quæ non tam vestem illuminat, quàm maculas detegit. Lapidem pretiosos proijcere in aceruum & congeriem rudium saxorum, est non illa ornare, sed proprium pretium perdere; ita honores indignis tribuere, est illos deformare, ipsosque honores dehonestare; immò & ipsos indignos in exitium promouere, non secus, ac si quis fundâ lapidē in altum eijciat; quòd eum altiùs impellit, eò altiùs cadit. Enimverò haud rarò seipsum sauciat, quisquis indignum honorat. *Libertas*, inquit S. Ambrosius *sapienti, non insipienti cœnset, quoniam*

S. Ambr.  
ep. 7. ad  
Simpli-  
cian.

quoniam

*nam* (iuxta versionem septuaginta) *qui deligat lapidem in fundibulo, similis est ei, qui dat insipienti claritatem, se ipsum vulnerat, atque sibi potius cum intorquet iaculum, affert periculum. Deinde sicut tormento acerbatur & geminatur malum saxi ruina, sic insipientis in libertate ruina vehementior est. Nostra tamen versio est: Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij, sic qui tribuit insipienti honorem*

§. II.

*Ob quas causas Honor indignis non sit dandus?*

Veteres Mercurium suum pedibus & brachijs truncum formare solebant; hinc homines inutiles, stolidos, mente captos, & rerum imperitos *ligneos Mercurios* vulgò appellabant: *at tu*

*Nil nisi Cecropides, truncosq; simillimus*

*Herma.*

Iuven.  
lat. 2.

*Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd*

*Ille marmoreum caput est, tua vivit imago.*

Itaque qui bardum hominem honore afficit, similis est illi, qui aliquod Mercurij simulachrum vndeque truncum reueretur. Et sunt profectò quidam idolo magis

N 5

trunci,

trunci; quos proinde honorare, est colere  
 idolum, quod qui faciunt, in saxis semi-  
 nant, nec raro & ipsi stultescunt. Vt quid  
 enim magistratum, regnum, imperium,  
 exercitum, vae cordi, imperito, stupido com-  
 mittunt? Naufragij causa est, qui nauem  
 puero regendam concredidit. Insi-  
 piens autem est, & plus quam puer etiam qui impro-  
 bus est, aut ad officium aliquod ineptus, il-  
 ludque appetit. Fit tamen plerumque, ut  
 quanto quisque est ineptior indigniorque  
 ad aliquam dignitatem, tanto se ipsum  
 aptiorem dignioremque arbitretur. Vt igitur  
 non oportet titillare eum, qui natura  
 procliuus est ad risum, sic non oportet lau-  
 dare illum, qui gloriae suapte sponte est ap-  
 petentior. *Qui cum sit indignus, dignum se  
 magnis putat, inflatus est, ait Aristoteles.* Mi-  
 nuendus, non augendus est inflatis tumor.  
*Rhegium Italiae tyrannus Syracusanorum Dio-  
 nysius solo equauit, commotus, ut refert Stra-  
 bo, quod cum ex ea ciuitate puellam in matri-  
 monium petisset, Rhegini licitoris filiam ei obtu-  
 lerint. Quid isti merentur, qui rudes, bardi,  
 stolidi, & stolones, & vix digni sunt, ut li-  
 ctores fiant, tamen fieri consules volunt,  
 aut in alijs muneribus Rerumpublicarum  
 euerso-*

Strabo  
 lib. 6.

everiores, non conservatores? Multæ itaque causæ sunt, ob quas honor vel negetur, vel auferatur ab indignis, quarum vel hæc prima sufficit. Itaque 1. hoc ipso, quia indigni sunt, ægrè ferre non possunt, si honorem non capiant, quem non merentur. Quid porco balsamum? quid crocomagma v

upæ? 2. Quid *querunt vanitatem & diligunt mendacium?* Non excellunt, neq; virtute, neque arte, & volunt dici Excellentes? sunt flagitiosi, & cupiunt à virtute laudari? sunt indocti, & ambiunt titulum eruditionis? Fridericus II. Imp. à Veronensibus indignè acceptus, iniecto igne, urbem incendio deformavit, studiumque illinc generale Patavium transtulit. A talibus candidatis auferendus esset titulus Doctoris, non autè illis conferendus. 3. Hoc titulo honor vilescit; quid enim magni est, quod apud indignos, & vilissimos reperitur? Memorat Ægidius Corrozetus, Bertrandum Geiquinatam Magistrum equitum, sub Carolo V. Gallorum rege, morem introduxisse, ut quicumque nobilitate, & conditione sua aliquid indignum commisisset, in publico convivio, dedecoris causa, mappa coram illo præcideretur, & hoc ipso indignus convictu nobilium

Psal. 4. 3<sup>s</sup>

Ægid.  
Corroz.  
de dictis  
& factis  
mem.

nobilium

nobilium iudicaretur. Tantò igitur pluri-  
siebat inter nobiles assidere, quantò pluri-  
bus constabat, indignum nullum admitti.

4. Ut honor bonos iuuat, ad multa bona  
promouenda; ita malis, tamquã furiosis, ar-  
ma ministrat, ad exercendã, & promouen-  
dam impietatem. Quis enim tyrannidem  
exerceret, si non esset in solio, aut potentiã  
emineret? 5. Iniustũ est, honorare indignos;  
iustum, malis honorem negare, immò etiam

Matth. 13.  
12.

auferre, & in virum dignũ transferre: *Qui  
enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui au-  
tem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*  
Sic & Iudæis dictum est: *Auferetur à vobis  
regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum  
eius.* Nec regnum, sed etiam honor ab il-  
lis ablatum est, postquam Messiam suum tan-  
ta ignominia affecerunt. Quã de causã, vt  
scribit Paulus Diaconus, *exclusi sunt olim  
Iudæi ab omnibus dignitatibus, honoribus, fun-  
ctionibus, & congressibus Christianorum:*  
*fuitq; lege vetitum, ne quis Christianus mu-  
nera à Iudæo acciperet.* Ad alloquium etiam  
Pontificum numquam sunt admissi, neque con-  
cessum, vt in scamnis sederent, sed in pavemento  
merces suas exponere cogebantur. Si quis etiam  
Christianum laderet, aut religionem violaret,  
grauissi-



grauissimè puniebatur. 6. Sic in viam redu-  
cuntur, vt cupiant facere honoranda, qui  
nihil honore dignum præstiterunt, & tamen  
sunt honoris appetentes. 7. Honoribus  
indigni sæpe multas alias habent causas suæ  
damnationis, fortè igitur magis peccarent,  
maiolemque mererentur damnationem, si  
peccarent cum autoritate. *Discant ergo si-  
deles, ait ille, culmina reuereri, & nequaquam  
cathedras impudenter ascendant: quia quantò  
gradus altior, tantò casus grauior.* Hi tales  
ipsum DEVM non honorant, qua igitur  
fronte volunt à Deo honorari? Si mica fa-  
lis in eiusmodi prensatore esset, diceret:  
*Vnde possum gloriari? aut appeto reputari?  
Numquid de nihilo? & hoc vanissimum est. Ve-  
rè inanis gloria, mala pestis, vanitas maxima:  
quia à vera trahit gloria, & celesti spoliat gra-  
tia. Dum enim homo complacet sibi, displicet ti-  
bi: dum inhiat laudibus humanis, priuatur ve-  
ris virtutibus.*

§. III.

*Quas ob causas bonis honores sæpe non con-  
ferantur?*

At, licet perspicuum sit cur indignis ho-  
nor nec debeatur, nec relinquatur, nonnè  
multi indole, arte, ingenio, scientijs, adde  
& vir-

Thom.  
Cantipr.  
lib. 1.  
Apum.  
c. 20. §. 7.

Thom:  
de Kemp.  
lib. 3. de  
imit. c. 40.

& virtutibus præstantes passim negliguntur, & latent inter obscuros, qui clauo, sceptro, regno digni essent? Est ita, sed id non fit sine Numine, neque sine singulari prouidentia ac beneuolentia diuina. Primum cui se se obligauit Deus, vt eum debeat, in ter-

2. Tim. 2. ris, facere honoratum? *In magna domo non*  
20.

*solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. Facit figulus ex limo quod vult, & Deo non liceat hunc regem facere, illum ad gregem destinare?*

Deinde, sæpe, quos maximè amat DEVS, in terris minimè honorat, immò facit ab honoribus vehementer abhorrere. *Apud San-*

Thom.  
Cantipr.  
lib. 1. cap.  
20. §. 4.

*ctum Victorem Parisijs, referentibus Canonicis audiui;* inquit Thomas Cantipratensis, quòd quidam Canonicus regularis erat, vita, genere, & litteris pollens. Electus autem in Episcopum, renuit, & pertinaci constantiâ contra plurimorũ & maiorum consilium, se subtraxit. Moriturum autẽ post multos annos socius quidam eius, qui eum multum dilexerat, adiurauit eum, quatenus ad se, si Deus permitteret, resolutus morte rediret. Annuit ille statimq; defunctus est. Nec dies multi, post mortem eius effluxerant, cum ecce anima, secundum quod promiserat,

ferat, rediens, eminus in pariete crucis signum  
impresit, dicens: Ne dubites, nec vacilles in vi-  
su. Sed quare, quod vis, & me sinas ad potiora  
redire. Mox socius ad visionem exultans: solli-  
citus, inquit, valde fui, ne gravissimam ad mi-  
nus poenam in purgatorio sustineres: quia refuta-  
sti contra maiorum consilium tam pertinaciter  
Presulatum, in quo ad salutem animarum, tot,  
& tanta bona facere potuisses. Cui anima. In-  
me, ait, hoc ordinavit clementissima bonitas Sal-  
vatoris, quia ex tunc timui, & nunc scio, quòd si  
Episcopatus cathedram ascendissem, perpetua  
damnationis periculum incidissem. Et hoc di-  
cens; quasi cum ingenti coruscationis lumine  
pertransiit. Nimirum verè dixit D. Augu-  
stinus: *Quàm multis honor occasio exitij fuit?*  
Nemo altiùs cadit, quàm qui altiùs ascen-  
dit. Quidquid in terris sublime est, ruinae  
obnoxium est. Humilia minùs periclitan-  
tur. Itaque non malè volentis, sed diligen-  
tis est Dei, si quem collocat in loco securio-  
re. *Quantò plus honoramur, tantò plus pericli-  
tamur,* ait idem S. Pater. Ac rursus alibi,  
si idem est: *Crescit vana potentia, crescit &  
poena. Potentes potentiora tormenta patientur.*  
*Quantò maior honor datur, tantò maius pericu-  
lum comparatur. Isti tales sunt elati, superbi,*  
*vanitate*

S. Augu-  
stin. serm.  
12. in S.  
Matth.

S. August.  
in Psal.  
106. Idem  
serm. 61.  
ad Fratres  
in cremo.

vanitate pleni, luxuriosi, gulosi, & hominibus magis placentes quàm DEO. Hi sunt se ipsos amantes, gula seruientes magis, quàm spiritualibus intendentes, corpus ornantes, & animam foedantes, carnalibus consentientes, spiritualia negligentes. Domitianus Imp. conditionem Principum miserrimam aiebat, quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis. Multò miserior est conditio talium Prælatorum, qui antè non agnoscunt suam calamitatem, quàm in id barathrum inciderunt, vnde vix datur emergendi potestas. Quomodo enim emergerent, elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, gulosi, & hominibus magis placentes, quàm Deo? Quibus tantum plumbi ad alas est appensum, non possunt de profundis in altum euolare.

## §. IV.

*Honoratorum pericula, & status.*

Hæc talia dicta credibilem faciunt tremendam illam historiã, quam idem supra dictus author his verbis enarrat. *Sed & illud sollempne miraculũ ad terrorem omnium prælatorum enarrabo. Clericus quidam in Synodo Episcoporum predicare compulsus, angustiabatur non modicum, quidnam dignè posset coram tot prælatis Ecclesia predicare. At ubi accessurus in oratione*

Sueton.  
in Domi-  
tiano,

Thom.  
Cantipr.  
lib 1.  
Apum.  
c. 20. §. 8.  
& 9.

oratione iaceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei. Quid angustiarius istis clericis predicare? Dicis eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum, principes Ecclesia salutant. Lati omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis, eorum <sup>in</sup> afferuntur subditi, & per eorum negligentiam ad nos deuoluitur totus pariter ferè mundus. Inuitus quidem tibi dico, quod dico, sed Altissimi iussione coactus. Respondit Clericus: Mihi quidem, si hac eis retribuero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: Ecce, ait, signum, nigredo insolita faciei. Hanc antequam predices, non contingas, quia frustra: post predicationem verò aqua benedicta delebis. Processit ergo Clericus in Synodo predicaturus: & admirantibus cunctis in signo indito faciei, tantùm illa, quae sibi iussa sunt, indicauit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permouit. Hec anno ab incarnatione Domini M.CC.XLVIII. fuerunt Parisijs coram omni clero & populo solemniter recitata. Quam vera sint ista, status procul dubio demonstrat Ecclesia: qui nullam superbiam, auaritia, luxuria, in clericis & praelatis recipit comparationem. Vidi moderatores orbis & Reges magnos, vidi Duces, & Comites, Barones; nihil tamen vidi in eorum cultu vestium tam singulariter

O

gulariter exquisitum. Eorum auaritiam si attendas: nulla mercatorum, nulla ciuium talis. Qui tamen heredes legitimos si haberent, tolerabilior insania videretur. De luxuria verò eorum nil definire praesumo, nisi quòd illam solus omnipotens nouerit, qui renum & cordium scrutator est.

**Psal. 7.** Deus. Si quis clericorum culpabilis, de duritia verborum dictorum conqueritur, corrigat se: & contra se prolata non audiet. Si quis verò legentium se à reprehensis mordaciter vitis inuenit innocentem, non irascatur, non indignetur mihi, sed gaudeat, vitia, de quibus conscius non est, in conscys reprehendi. Si quis verò indigne dicta verba tulerit, notabilem se reddet in dictis, & veritatis planissima detractorem. Hæc ille.

## §. V.

*S. Spiridonis patiens humilitas honorata.*

His tantis periculis caret, quisquis honoribus patienter caret. Quare beneficij loco est habendum, si quis fit à periculis immunis. Quid quòd ipse despectus honorum, atque etiam iniuriarum patientia multis est

**Surius. 24** via ad honorem? **S. Spiridonis** ad Constantium Imperatorem euocati vilissimus erat habitus, toga detrita & decotis. Pro cingulo funis. Vas fictile pependit è collo. In manu, loco hastæ, aut spiculi, virgam  
ex

ex palma tenebat. In compendio dicam, à vertice vsque ad calcem contempti hominis speciem præ se ferebat. Talis regiam ingrediebatur. Quod ubi vidit colax quidam, quo hominum genere plenè solent esse aule, indignum ratus, vt homo tam abiecta specie intraret in palatium Imperatoris, non veritus est sacræ eius maxillæ colaphum infringere, quo longè lateque exsonante, affatim riserunt, qui audierant, aut viderant. At quid sanctissimus vir tantâ contumeliâ affectus fecit? Christi doctrinam secutus, Matth. 5.  
non modò tulit eam iniuriam patienter, ve- 39.  
rùm etiam genarum alteram, prompto patiendi animo exhibuit percussori. Quasi re- percussisset verberantem, ita erubuit alter. Nam tantæ patientiæ modestia insolentem illum tanto pudore affecit, vt repente ei supplex fieret, atque subitæ inconsideratæque suæ audaciæ veniam flagitaret. Quam quidem Sanctus ille libens concessit; sed hominem paternè instruxit, vt posthac ab inferendis iniurijs se se contineret. Eo tam generoso facto spectantes in stuporem dedit, adeò, vt qui antea illum clarissimè sonantibus cachinnis exceperant, iam de virtute admirarentur. Itaque à viris principibus mag-

no in honore habebatur, qui eum summa cum reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Si impatiens fuisset, si honorem suum defendisset, si de iniuria sibi facta exposuisset, si colaphum colapho reposuisset; nemo illum ad Imperatorem, sed ad carcerem duxisset. Irritati enim crabrones crudeliter sæuiunt. Irritatus fuisset Spiridon quoque, si de genere crabronum fuisset: nunc igitur in ipsa contumelia perferenda apparuit, non contumelia eum, sed gloria dignum extitisse.

## §. VI.

*Nihil honoris vel acquirendi, vel recuperandi  
caussa ambiciosè agendum.*

Infertur sanè sæpenumero grauis iniuria, & atrox plaga viris præstantissimis, si eis, ob egregias animi ingenijque dotes debitus honor, debita laus, debitum officium negetur, vel adimatur; vt is illud habeat, qui blanditijs, calumnijs in alios excogitatis, adulatione, aut inani iactatione id extorsit, aut, ne perdat, veritatem tegit, neque vniquam liberè audet effari, quæ vtilia sunt; metuens gratiæ pariter & honoris iacturam. Sed virtuti datur, per iniurias, occasio. Patiens, fortis, magnanimus, nullâ sibi finit



nit iniuriã virtutem eripi; sed adeò est pro-  
vidus, vt ex ipsis iniurijs sumat occasionem,  
patientiã, & fortitudinis exercendã. Itaq;  
etsi alij inuitis auribus audiant veritatem,  
oculisq; indignantibus aspiciant fieri, quæ  
iusta sunt, apertè tamen odit, quos odio dig-  
nos existimat, & amat, quos viderit odio  
prosequendos, professus illud Ennianum:  
*Eo ego ingenio natus sum, vt iram atque amici-  
tiam in fronte promptam geram.* Oderint ho-  
mines, dummodo amet Deus; despiciant  
homines, dummodo honoret Deus. Infra i-  
stos est gloria & fauor humanus, non supra:  
numquam eum adorant; & calcare possunt,  
si sit necesse. *Magni animi est,* inquit Seneca, *Seneca*  
*iniurias despiciere. Ultionis contumeliosissimum* lib. 2. de  
*genus est, non esse visum dignum, ex quo petere-* ira, c. 32.  
*tur ultio. Multi leues iniurias, altius sibi demi-*  
*sere dum vindicant. Ille magnus & nobilis est,*  
*qui more magna fera, latratus minutorũ ca-*  
*num securus exaudit. Rursus, Propriũ est mag-*  
*nitudinis vera, non se sentire percussam. Sic*  
*immanis fera, ad latratum ceterum lenta re-*  
*spexit. Sic irritus ingenti scopul. fluctus assultat.* Greg. Tu-  
Hæc Philosophus Ethnicus; multò efficaci- ron. de vi-  
us Episcopus Christianus, *Magnum, ait, no-* tis PP. c.  
*bis diuina pietas largita est beneficium, cum de-* 8. apud  
Sur. 13.  
O 3 *licitis* April.

lictis nostris fieri praecepit de remissione refugium, si negligentibus ignoscamus, si indulgeamus laedentibus, si odientibus nos è contrario commodum benedictionis impertiamus, dicente D. N. *IESU* Christo; *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos &c.* Ecce remissio iniuriarum filium te Dei patris facit, cohaeredem Christi adscribit, caelestibus regnis habitatorem statuit. Vnde manifestum est oblita delicta eius in caelo, qui delinquenti beneficium veniae im-

**Matth. 6.** pertitur in saeculo, testante Domino: si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum &c. Cum verò supplices famulis docet orare, ait: sic dicitis ad patrem; *Dimitte nobis peccata nostra &c.* cui sententia *Martini* abbas sanctitate praclarus, ac diuinis eruditus litteris, vim corde retinuit, ut libenter dimitteret delinquenti, nec solum ignouit noxam, verum etiam munere praebebat gratiam.

## §. VII.

*Eosdem esse iniuriarum & honorum contemptores.*

Qui iniurias didicit non curare, facile etiam nihil ageret peruersè, ob honorem, quem sensit esse fugitium, etsi sine sua sibi culpa ablatum; immò in animæ suæ salutem ablatum. Ita enim scribit ad *Maximum*

*Augu-*

Augustinus: *Transit honor huius saculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec absida gradata, nec cathedra velata, nec sanctimonialium occursantium atq; cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc releuant, ibi grauant. Ista quæ pro tempore propter Ecclesia utilitatem honori nostro exhibentur, defenduntur fortè bona conscientia, defendere autem non poterunt malam.* Quod cum agnosceret Clodoueus Francorum rex, primus ex regibus Franciæ ad Christum conuersus per sanè libenter ac patienter se B. Remigio Archiepiscopo Rhemenfi submisit. Quando enim, post superatos Alemannos, erat baptismo tingendus, ei deponenti ornamenta regalia & ad sacrum se lauacrum humilianti, coram procerum frequentia, cunctisque audientibus dixit Remigius: *Mitis depone colla Sicamber; adora, quod incendisti; incende, quod adorasti: hoc est, Christum adora, cuius Ecclesias incendisti paganus; incende idola, quæ tunc adorasti. Ita baptismo pariter, & aceto eum Sanctus Antistes, sed utiliter, perfudit. Et passus est rex, quia hanc humiliationem vidit esse viam ad*

S. August.  
ep. 203.

Io. Trithem. lib.  
1. compend. Ann.  
nal. t. 8.  
& lib. de  
origine  
Francor.

veram gloriam; ad quam peruenturus non erat, nisi pristina præsepia contempisset. Quin & multi, qui honore in futurum nihil ad salutem collaturo destituuntur, assuecunt opera sua ad verum honorem æternamque gloriam destinare. Quemadmodum enim alij fluxis honoribus, tamquam vi- liore esca saturi, nauseant æterni decoris im- mortalitatē; ita qui terrenis titulis non sa- ginantur, famem integram afferunt ad de- licias cæli; & tantò cupidiùs esuriunt siti- untque iustitiam, numquam, apud beatos, morituram. Qua de causa ita hominem al- loquitur Deus, per pij authoris ealamum:

*Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honora- ri, & eleuari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in calum, & non contri- stabit te contemptus hominum in terris. Domi- ne in cecitate sumus, & vanitate citò seducimur. Si rectè me inspicio, numquam mihi fa- cta est iniuria ab aliqua creatura, unde nec iuste habeo conqueri aduersum te. Quia autem fre- quenter & grauius peccaui tibi, meritò arma- tur contra me omnis creatura. Mihi igitur iuste debetur confusio & contemptus, tibi autem laus, honor, & gloria. Et nisi me ad hoc prepa- rauero, quòd velim libenter ab omni creatura despici*

Thom. de  
Kemp.  
lib. 3. de  
imit. c. 41.

despici & relinqui, atq; penitus nihil videri, non possum interiùs pacificari, & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi vniri. Quòd si mirificè sibi hominum animos obstringit is, qui nouit iniurias sibi impactas tolerare, immò obliuisci, aut, quod maius est, etiam beneficijs compensare; quid apud patientiæ remuneratorem Deum merebitur, is, qui despectoribus, immò persecutoribus suis mala pro bonis reponit? Huic ergo tali merito vt occasio fiat, permittit diuina prouidentia, vt multi despiciantur, honoribus, dignitate, principatu exuantur. Cui rei confirmandæ inferam hîc siue fictû, siue verum, de Hercule Ferrariensi, exemplum, ea fide, qua ex Ioan. Baptistæ Gyraldi Cynthij Italico idiomate translatura à curioso ingenio accepi.

§. VIII.

*Hercules Ferrariensis atroci iniuria affectus, quàm magna cum laude & uilitate ignouerit?*

Leonellus & Borsus spurij, legitimum filium Herculem Ferrariensem, Imperio ad se rapto, paternâ hæreditate spoliauerant. Noluit tamen ex hisce Borsus vxorem ducere, ne, uti animo destinauerat, natis sibi liberis,

Ioan. Baptistæ Gyraldi Cynthij He-cathomi-thorum

**Decades.** ris, reddere principatum per vim ablatum.  
**Nouell.** Herculi non posset. Leonello vxor sua pe-  
**X. Italica** perit filium Nicolaum, quem, cum ipse IX.  
**fol. 95.** dumtaxat annos imperitasset, cælibi Borso  
**p. 2. Ve-** fratri educandum moriens commendauit,  
**net. An-** ut, si ipse quoq; Borsus vita excederet, Ni-  
**no 1584.** colaus capefferet fasces, id quod sanè per-  
**apud Fa-** facile accidere poterat, si, ut Hercules, ge-  
**bium &** nerosâ indole iam à puero utilibus, hone-  
**Augin.** stis, ac nobilitante cum virtute coniunctis,  
**Zoppinos** strenuam operam nauare, vti decebat, vo-  
**Fratres.** luisse. Nunc secutus perditæ luxu adoles-  
centiæ mores, vanissimis, quin perniciosissimis  
deditus, gulæ dumtaxat, lusibus & amori-  
bus obscœnis, iuuentæ florem indignissimè  
corrupt, cum a sotis, sanguine, & viuendi ri-  
tu sibi coniunctis. Certè signum de se præ-  
buit nullum, quod trahi posset in omen,  
preclarum illum aliquando, & patriæ com-  
modum principem extitutum, cum in alia  
interim omnia ferretur Hercules, & pul-  
cherrimâ contentione paulatim Heroum  
exempla imitatus ad celsissimæ dignitatis  
fastigium grassaretur. Hæc habebant sanè  
Borsum pessimè, verentem, ne à morte sua  
intertrimentosâ Nicolai segnitie respublica  
grauissimè concuteretur: ac quamquam ni-  
hil

hil inexpertum intentatumq; relinqueret, ut ad bonam frugem ex Fratrem nepotem extimularet, proposito, ut modò dixi, Hercule, & quæ incommoda consecutura essent, nî in alium migraret, hilum tamen eheu! non profecit, nec pilo ille melior se ipso est factus, ita prauæ eum sodalitatis in sequiora abripuit commercium. Nempe communi vitio iuuentutis, quam illecebræ plerumq; à salutaribus maiorum monitis abducunt. Abijt ad plures tandem Borsus. Hercules verò, Deo Duce, virtute & fortunâ Comite, septus validâ clientum manu Ferrariam Princeps est ingressus, cùm Nicolaus rebus suis diffidens aliò abscessit, serâ nimirum poenitudine dementiam suam deplorans æ detestans, quâ benè nuper Patruo monenti non obsecundâsset, & quò tandem corruptela euasura esset, seriùs expendisset. Hercule interim plausu publico triumphante, nisi, quòd cirratuli, qui incentiua vitiorum Nicolao subministrarunt, ægrescentibus animis gloriam eius spectare, & inuiti perferre cogebantur. Cæterùm, ad hoc potissimum cura & industria Herculis incubuit: ut nihil non iustè exequeretur & prudenter, vnde omnium sibi mentibus meritò obstri-

ctis

Etis mirificè amari meruit & obseruari, vt  
 cælitum dono Patrem patriæ concessum,  
 publicâ contestatione confiterentur, quam  
 quidē ille de se tam præclaram existimatio-  
 nem generosâ liberalitate, & heroicæ indo-  
 lis magnitudine magnificè fouit, & conser-  
 uauit. Quæ cū ita se haberent, Nicolaus,  
 occurrentibus identidem Borfi salutaribus  
 monitis, accedentibus stimulis ab matris  
 suæ consanguineis, & iuuenum cohortatio-  
 nibus, qui ab Hercule licentiam suam com-  
 pesci concoquere non poterant, & verò spe-  
 rabant, Nicolao Principe quiduis sibi impu-  
 nè liciturum, ad arma capienda, & vi sibi  
 principatum vendicandum, animum aduer-  
 tit. Aliquando igitur, cū per coniuratos  
 didicisset Ferrariâ Herculem abesse, com-  
 plures in ditione Mantuani Ducis naues mi-  
 lite compleuit; & fœnum ijs vehi mentitus,  
 secundo flumine in Pado Ferrariam festina-  
 tō deduxit, vsus præterea, ad hoc stratege-  
 ma, obscuræ noctis beneficio. Iamque ap-  
 pulsus ex 5000. quos secum habebat, prius  
 quàm dilucularet, numerosam manū misit,  
 quæ mœnia, supra Theobaldinæ Arcis pontē  
 vbi infirmissima ea esse didicerat, perfringe-  
 rent, vt succedentibus cæteris copijs liber-  
 pateret



pateret ingressus. Et sanè tam strenuè rem illi perfecerunt, vt decem vndecimúe armati per ruinas ingredi non prohiberentur. Non desunt, qui aiunt, prodicione coniuratæ nobilitatis hanc muri stragem fuisse editam. Iamque diluculante paulatim cælo admissus totus exercitus producebatur, in forum personante horrificâ vociferatione symbolo, ac belli tesserâ: *Vivat velum! pereat Hercules! & quotquot Herculei Adamantis factioni sunt addicti, pereant!* dici non potest quantum terroris ac consternationis ciuibus, nondum somno excusso, hæ ferallium nouorum comminationes attulerint. Erat in vrbe fortè Sigismundus Hercules frater, quo cum concorditer hætenus vixerat. Hic percepto tumultu, fratris vxorem, filiúmque cum permunitam semouisset in arcem, prosiliit in publicum: cumque, qui pro præsidio vrbi erant, milites partiúmque Hercules ciues armatos contraxisset, infesto agmine procurrat in Nicolaum, & diuina Nemesis tyrannidem affectanté prosequente, in fugã factâ pugnâ multis interemptis coniecit. Cumq; is è palude captus ad Bundenum retractus esset, sententiã in ipsum, ceu perduellem, latã vitam sceleratè perfido abrogauit.

Venit

Venit interim Ferrariam Hercules, cui ut Nicolai rebellio cordolium, ita fida & animosa Sigismundi fratris felicitas lætitiā peperit, quā quidem perfectum esset, ut illustrissimæ suæ familiæ metus & periculi omnis causa ab æmulis tolleretur. Ac quamquam non ignoraret, quot, quales, ac quanti improbos Nicolai conatus promouissent, id tamen sapienter sic dissimulavit, ac si de eis, ad se verbum nullum emanasset; quin iisdem ita se beneuolum, benignumq; exhibuit, ac si in se non modò peccassent nihil, sed & meriti fuissent benè. Sciuerat nimirum, etiam Dauidem ijs, qui regno eius obstiterant, aut insidiati fuerant, pro maleficio, beneficia reposuisse.

Erat ex eorum ordine, qui, quòd ad arduorum, & secretorum consiliorum consultationes admittuntur, *Oculi*, atque *Aures* magnatum appellitantur, hic cum Domini sui beneficentiam in hostes suos capere non posset, ratus nihil ipsi de eorum nominibus prorsus constare, volensque suis, & illius commodis inseruire, dementi consilio, improba tamen industriâ, clam Hercule, anquirere in ciues cœpit, Ecqui eorum armorum societate vitæ Principis sui cum Nicolao

lao

lao insidias tendere non perhorruissent; ac deprehendit, prope tertium quemque è nobilioribus adolescentibus affinem esse tam nefariæ proditionis. Horum omnium syllabum cum confecisset, ipsis nascentis Christi ferijs, felicia ineuntis lucis auspiciâ Principi apprecaturus, (*Bonum manè* Lombardi vocant) hilarus in aulam se contulit, atque ubi admissus est ad Herculem, exporrectâ fronte gestiens, fert quidem, aiebat, antiquus mos, vti clientibus suis magnates *Bonum manè*, seu Xenia impertiant: ego verò vertam equidem nunc stylum, & te lautijs, atq; apprimè faustis, Domine, beabo. Hercules, qui alia omnia dicturum putaret, quàm quæ in medium erat allaturus (nempe quem non par erat sollicitâ exploratione angi, vt ea inuestigaret, quæ benigni principis prudentia, quòd id ita boni publici rationes exposcerent, sepulta penitus voluit, & ex hominum memoriâ deleta) Hercules, inquam, Ecquem igitur tam faustum adferret nuncium, disertius iussit explicare, cum hic sapientum octauus, Enimuerò habebis, exceptit, ex me, quod cum iuuerit te multis alijs de causis, tum ab hostium tuorum te metu liberabit. En tibi syllabum sedulitate

dulitate

dulitate mea, quoad eius fieri potuit, maximâ confectum, in quem nominatim retuli eos omnes, qui fide, & iureiurando, quo tibi adstricti iure fuerant, insuper habitis, cum Nicolao conspirantes, per summum nefas, arma corripere in excidium tuum actorum non cohorrerunt, & id hætenus tulere impunè: cum ergo quadringentos excedant, & uti ego quidem calculum posui, bona eorum auri myriadem superent, si ijs, ut merentur, contrucidatis in fiseum ea retuleris, vides ipse quanto ærarium tuum locupletius sis redditurus. Hercules animo haud parùm commotus, quòd, qui apud se iustitiæ conseruandæ, pacisq; ac concordie stabiliendæ stipendia mereret, tam acerbi funestique consilij sibi esset auctor, vnde tot nobilissimis adolescentibus, eâ quidem ætate væcordibus, sine missione mittendus esset sanguis, quo innumeri innocentes multis ijs titulis deuincti, ægrescentem darentur inluctum. Statuit igitur ut nemini non constaret de generosissimi animi sui magnitudine, ita fontes plectere, ut supplicium omne intra verecundiam consisteret. Accepit itaq; codicillũ, & priusquam inspexisset, Hosee, inquebat, meo imperio omnes carnificis ferro

ferro perire fasque piumque; arbitraris? Fasque piumque; est, ô princeps, subiecit alter, ut, qui pessimè fecere, pereant non minùs pessimè. Ergo & mihi sedet, ait Hercules, hos omnes tolli è medio cum bonis suis; simul illectum nomenclatorem in proptèr ardentem focum coniecit, moriantur ergo hi, inquam, cum omnibus bonis suis huic pyta-cio inscriptis: & cum eis comburatur memoria eorum omnium, quæ animo apud se contra me agitarunt, quæ linguâ, manuque; peccarunt. O facinus illustrissimum, summoque dignum Principe! quod sceptris, & regum aureis coronis inscribatur, ut maximi quique dynastæ intelligant, non vindictâ, non honoris sui læsi memoriâ, sed solâ se clementiâ ad immortalis Dæi Maiestatem æternabili gloriâ subleuari.

Attonitus insolentiâ spectaculi delator, & qui igitur tutò prouides, ait, ô Princeps, inter tot coniuratos in caput tuum hostes? Quid aureos hos montes Gazophylacio tuo inferre supersedere cogitas, quos citra iniuriam tutè tibi potes vindicare? Et potin tu hoc optare, suscepit Hercules, ut, me Duce, tot, ac tanti parentes, fratres, sorores, innumerique consanguinei, qui omnes mei

P ciues

ciues sunt, in summum luctum ac calamitatem adducantur, si pœnas mihi coniurati pendant? procul abest hæc Tyrannis ab Herculis indole: proin sic habeas velim, nolle me, vt aduersarij mei occidantur, & bonis excutiantur, sed vt tranquilli alacresque & sibi imperari, & erroris aduersum me veniam obtigisse gaudeant: facultatumque suarum copiâ beati, se amicos mihi plaudant iucundam vitam ducere. Nam quod ad bona ipsorum attinet, ea ego haud minus in meis numero, cum sint ciuium meorum, ac si in ærarij domestici arculis conclusa possiderem.

Et quia malo ab ijs considerari atque expendi, quid sint meriti, & quàm iure in eos ego potuerim seuerè animaduertens lege agere, quàm vt reapsè vindictam experiantur; itemque cum ipsi inhumanæ feritatis suæ barbariem perspexerint, nec possint non ac debeant confiteri, Patrem me Patriæ vindictam exercere noluisse; iam nunc tibi interminor, capite te luiturum, si verbulum super his ampliùs effutiueris, viuásq; contentus *Hoc bono manè*, quod attulisti, quod profectò candido notandum arbitror calculo, cum facultatem eo præbueris, eorum  
extin-

extinguendi nomina, quos tu in aduersaria  
hæc tua velut hostes meos coniecisti. Et vt  
æternùm nulla ampliùs apud posteros su-  
peret memoria, volo, imperoque tibi, vt si-  
quid domi superest chartularum, quo pro-  
pagari tragœdiæ, quâ perfuncti sumus feli-  
citer, possit catastrophæ, id omne actutum  
flammis, si tua tibi salus cordi est, aboleas.  
Ac caue deinceps interpellandum me putes,  
nisi si quæ suggeres, quæ cum ciuium meo-  
rum commodis coniuncta fuerint, quæque  
à te ad me delata esse sibi iucunda ac grata  
existere gratulabundi contestentur. His di-  
ctis exautoratum officio à se dimisit, spe suâ  
nimio opere falsum, quâ, vt vultures prædæ  
partem captant ex cadaueribus, confidebat  
si peremptorum bona fisco addixisset prin-  
ceps, non contemnendâ eorum parte se-  
quoque aspersum iri. Plerumque enim spe  
aliqua lactantur delatores. At verò vbi per  
urbem increbuit pulcherrimum istud Prin-  
cipis facinus, adeò reorum animos, qui vel  
suâ sententia capite se plectendos negare  
non poterant, inexpectata clementia per-  
mouit, vt nemini iam quàm Herculi vellent  
meliùs, atque adeò parum se gratos, & ob-  
sequiosos interpretarentur futuros, si vel

sanguinem in eius gratiam profundere non dubitarent. Quòd si dux se pestilentis illius susurrionis hortatibus ad sæuitiam fuisset exacerbari, quâ re nisi lugubri vlulatu, auersis à se cæterorum mentibus & sexcentis alijs urbem calamitatibus impleuisset? cum nunc vniuersos summam dederit in lætitiâ, beneuolentiâ sibi adiunxerit singulari, ut eum vnicè diligerent, & inconuulsam præstarent fidem, nec Herculi modò Patri obtingeret hæc felicitas, sed in nepotibus quoque hodie perseveret, ac perennet.

## §. IX.

*Religiosus cetera negligens, ob iniurias condonatas, iudicium Dei euadit.*

Hunc patientia, mansuetudo, & clementia fructum protulit apud mortales, ut non tantùm Herculis nomine dignus esset Princeps, qui hæreditate, patriaque sede & dignitate, per summam iniuriam priuatus, ac postea etiam armis appetitus, veniam dedit rebellibus; sed etiam mirè sibi omnium animos conciliaret, atque ex hostibus amicos, ex seditiosis pacatos, ex immorigeris homines frugi, & quales esse oportet ciues, faceret. Numquam ita florisset, si de honore, deque potestate deiectus non fuisset, Utiliter



ter iactatus est, vt per magna pericula perueniret ad magnam securitatem. Longè autem maior securitas fuit alterius, de quo Anastasius Episcopus Antiochenus cognomento Sinaita in oratione de sacra synaxi, quam Achilles Staius Lusitanus in Latinum à se conuersam sermonem obtulit Gregorio XIII. Pontifici Maximo Anno Christi 1579. in qua oratione hanc historiam his verbis refert. *Vir vnus ex ijs qui monachali insigniti sunt schemate, cum negligentissime per summum otium vitam suam omnem egisset; ea que esset ad mortem, infirmitate coepit infirmari. Cumq; iam ultimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summâ voluntate, magnaq; cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater, inquit, persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summâ negligentia, animiq; remissione vixisse te vtiq; ad hoc vsque tempus: & vnde hac tibi nunc tanta securitas, id verò omnes nescimus. Cui respondit Frater: Est ita omnino, Patres, vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographon attulerunt, cumq; ea que fecissem postquam saeculo renuntiassem peccata legissent,*

Ex Anastasio eandem ex scripsit Card. Baron. tom. 8. Anno Christi 1599.

numquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò, inquam, agnosco: sed idem ex quo renuntiaui seculo, vitamq; institui monasticam, nec iudicari quemquam, nec ab ullo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: & dimittite, & dimittetur vobis. Quis postquam Angelis dixi, chirographon peccatorum meorum considerunt: & inde nunc summa cum letitiâ & securitate proficiscor ad Dominum. Hac ubi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit, magnâq; astantibus adificationis utilitatîq; causa & autor extitit. Eat nunc aliquis, & conquerratur de Deo permittente, vt homines spernantur, iniurijs, contumelijs, sexcentis de spectibus obruantur; hæc omnia seges sunt patientiæ, gloriæ, & coronæ cælestis metendæ.

